



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 An ens rationis habeat aliquas causas, & quænam illæ sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

tatum. Et confirmatur, quia plus distat in ratione entis ens rationis ab ente reali, quam homo pictus à vero, nam hic saltem intercedit realis similitudo in aliquo accidente, quæ inter ens reale & rationis nulla esse potest. Dices, Simili argumento probaretur non posse hic interuenire analogiam proportionalitatis, quia ens rationis neque proportionem habere potest cum ente reali. Respondetur, quamuis ens rationis ut sit in se non habeat proportionem aut fundamentum proportionis, quia in se nihil est, cogitur tamē ad modum habentis proportionem vel habitudinē, & hoc satis est ad fundandam aliquam analogiam, quam docuit Diuus Thomas q. 2. de veritat. a. 11. ad quintum.

SECTIO II.

Verum ens rationis habeat causam, & quenam illa sit.

I. *Entis rationis nulla causa finalis.*



Ecce questio solum potest intelligi de causa efficiente, nam ens rationis ex se nullam proprie habet finalem causam, quia non est aliquid per se intentum à natura, vel ab aliquo agente. Quod si ex parte hominis excogitantis aut fingentis entia rationis, finalis aliqua ratio reddi possit, illa magis est finalis ratio ipsius cogitationis hominis, quæ ipsius obiecti facti & cogitati: & ille finis satis explicatus est in sectione præcedenti. Rursus cum ipsum ens rationis fingatur per modum cuiusdam formæ, ut relationis vel aliquid simile, non est illi necessaria alia formalis causa. Ac denique, cum in nulla re sit subiectiue, sed tantum obiectiue in intellectu, ut dictum est, etiam non habet causam materiale, quamquam si res quæ ab ente rationis denominatur, consideretur per modum subiecti, possit dici materia vel quasi materia illius denominationis aut formæ. Et consequenter si illud sic denominatum, consideretur, ut quid compositum per rationem, possit dici habere causam formalem, scilicet, ipsum ens rationis in abstracto sumptum, ut cum homo, verbi gratia, dicitur species, illud conseruetur species, est quoddam ens rationis, cuius materia est homo, forma vero relatio speciei: quod secundum varias opiniones, & pro varietate etiam entium rationis explicandum est diuersis modis, iuxta ea quæ inferius dicemus.

Prima sententia de causa efficiente entium rationis.

II.

De causa ergo efficiente solum dicendum est. Aliqui enim hanc causam simpliciter negant de entibus rationis. Ita sentit Soncin. sexto Metaphysic. questio. 18. quamuis non dicat absolute non habere causam, sed non habere causam dantem eis esse, & loquitur aperte de esse existentia, quo sensu est res clarissima, quia ostensum est ens rationis non habere esse nisi obiectiuum in intellectu. Ut tamen superius dixi, hæc quæstiones accipiendæ sunt iuxta subiectam materiam, & ideo suppositis quæ diximus de natura entis rationis, ineptum esset inquirere causam quæ per realem efficientiam illi esse tribuat, siue mediate siue immediate. Tamen cum ens rationis non semper sit eo modo quo esse potest, aliquando vero esse incipiat, eodem proportionali modo non est ineptum querere causam huius qualiscunque esse talis entis.

Affertio prima.

III. *Causa efficiens entis.*

Sic ergo dicendum necessario est primo, dari aliquam causam efficientem à qua habet ens rationis ut suo modo sit, quamquam efficientia eius ut est realis productio ad illud non terminetur, ut ad ter-

minum effectiōis, sed tantum ut ad obiectum ipsius termini producti. Probatur, quia quamuis ens rationis non habeat esse reale, habet tamen esse obiectiuum quod tamen non semper habet: ergo quod nunc illud habeat, & non antea, in aliquam causam aliquo modo, efficientem referendum est: alioqui nulla ratio sufficiens illius qualiscunque varietatis reddi posset. Item illud esse obiectiuum, quamuis in ipso ente rationis nihil sit, tamen necessario supponit aliquid esse reale in quo fundetur, vel à cuius denominatione seu habitudine illud esse obiectiuum quasi resultat: illa ergo causa quæ efficit tale esse reale, est causa entis rationis. Et hinc facile patet posterior pars conclusionis, nam talis causa per realem efficientem aliquid operatur, ut, verbi gratia, talem cogitationem vel fictionem, quæ in ipso intellectu quippiam reale est, tota vero illa efficientia, ut ad terminum realis productionis terminatur ad formam conceptum ipsius mentis, & ibi sistit: inde tamen fit, ut illemer conceptus formalis terminetur aliquo modo ut ad obiectum, ad ipsum ens rationis quod cogitatur, aut fingitur. Atque ita tandem ipsum ens rationis habet esse obiectiuum in intellectu.

Affertio secunda.

Dico secundo. Intellectus est causa efficiens entium rationis: efficit autem illa, efficiendo solum aliquam cogitationem, vel conceptum suum, ratione cuius dicitur ens rationis habere esse obiectiuum in intellectu. Hæc satis constat ex præcedenti, & ex ipsa appellatione entis rationis prout superius explicata est, quia si ens rationis habet esse tantum obiectiuum in intellectu, ergo illud habet medio aliquo actum intellectus, cui obicitur: ergo per efficientiam illius actus habet illud esse: illa ergo appellatur efficientia ipsius entis rationis lato modo & iuxta materie capacitatem, ut sæpe diximus. Contra hanc assertionem referri posset opinio, asserens omnem extrinsecam denominationem esse ens rationis, etiam ante omnem intellectus considerationem, de qua statim dicam.

IV.

Intellectus est causa efficiens entis rationis.

Varia dubitationes circa assertionem positam.

Circa hanc enim assertionem occurrunt multa inquirenda & explicanda. Primum est, quæ sit illa actio vel cogitatio intellectus, per cuius efficientiam dicitur ens rationis resultare & consequenter an per quolibet actum mentis resultet in obiecto aliquid ens rationis, vel solum per certos ac determinatos actus & quin illi sint. Deinde, an conficere hoc modo entia rationis sit proprium intellectus vel conueniat etiam voluntati, aut etiam sensibus, & in vniuersum potentiis habentibus propria obiecta. Denique, an hoc intelligendum tantum sit de intellectu humano, vel etiam per diuinum, aut Angelicum resultent entia rationis.

Opinio asserens consistere ens rationis in extrinseca denominatione.

V.

VI.

Est ergo quorundam opinio, entia rationis nihil aliud esse, quam denominationem extrinsecam, qua res cognita denominatur ab actu intellectus secundum aliquam proprietatem, aut conditionem conuenientem illi quatenus cognita est, quæ denominatio potest esse multiplex. Prima omnium videtur esse illa, qua dicitur res esse cognita, nam hæc etiam est denominatio extrinseca proueniens ab actu rationis, & non cadit in re, nisi prout est obiectiuum in mente. Deinde sunt denominationes sumptæ ex variis opinionibus intellectus, ut ex prima, esse vniuersale, genus definitum, &c. ex secunda, affirmari, negari, &c.

EX 195

ex tertia esse antecedens, consequens, &c. Nam quod hæc omnia sunt entia rationis, communis omnium consensus est, & patet, quia nihil reale est in rebus sic denominatis, & tamen ita concipitur & dicitur, ac si esset aliquid. Item quia illæ denominationes æque tribuuntur non entibus, nam etiam privatio cognoscitur, affirmatur, negatur, &c. Quod vero hæc denominationes præcise sumantur ab actu intellectus, quod res cognoscitur hoc vel illo modo probatur, quia ex eo præcise quod intellectus cognoscit rem, dicitur res esse cognita: unde licet intelligere in ipso intellectu sit vera res illi intrinsece afficiens, tamen in obiecto, intelligi est tantum rationis denominatio, atque ita ens rationis. At vero ex quo intellectus cognoscit rem tali modo, verbigratia ab abstracte denominatur vniuersalis, & sic de aliis. Et hæc sententia sic explicata tribuitur Durando in 1. dist. 19. q. 5. & 6. an vero ita sentiat, postea videbimus.

VII.

Prima illatio expressa in opinione.

Et iuxta hanc sententiam sequitur primo, entia rationis non tantum resultare suo modo in rebus cognitis per intellectum humanum vel creatum, sed etiam per intellectum diuinum, quia etiam prout illi obiciuntur, denominantur cognitæ. Quod se modo Scotus dixit creaturas ex æternitate esse productas à Deo in esse cognito, nam, ut in superioribus sæpe diximus, illud esse, in sententia Scoti, non est reale esse existentie neque esse essentie, nam essentia creaturæ non est cognosci, sed est id quod cognoscitur. Erit ergo ens rationis. Verum est ipsummet Scotum in 1. distinctione 36. quæst. vnica §. Ad secundum dico, declarare quod illud esse non est esse relationis rationis, sed aliud est esse diminutum, & absolutum, non tamen declarat an sit dicendum reale, vel rationis.

VIII.

Secunda illatio.

Secundo sequitur ex prædicta sententia, non solum per intellectum, sed etiam per volutatem, imo & per visum, & per alios similes actus resultat entia rationis, quia etiam ex illis denominantur obiecta secundum aliquod esse, quod in eis nihil est, videlicet esse volitum, aut esse visum. Vnde Scotus pari modo dicit creaturas produci à Deo in esse volito per voluntatem, ac in esse cognito per intellectum, ut constat ex 2. d. 1. q. 1. & maiori ratione per voluntatem humanam omnino extrinsece dicitur res volita & amata, & per visionem visæ: est ergo in his omnibus eadem ratio & proportio.

IX.

Tertio infertur ex dicta sententia, non solum dari entia rationis ex vi horum actuum potentiarum vitalium, sed etiam ex aliis rebus vel habitudinibus rerum posse confluere, quia in rebus ipsis ante hos actus inveniuntur aliquæ extrinsece denominationes, quæ nihil in eis ponunt, & consequenter etiam erunt entia rationis. Huiusmodi est denominatio quæ columna dicitur dextra vel sinistra animali: item illa quæ redundat in obiectum ex potentia ut sit, ut esse visibile, vel audibile: denique omnes illæ relationes non mutuas, quæ ex parte alterius extremi dicuntur esse rationis, aut denominationes extrinsece ab aliis extremis. Quin potius à paritate rationis sequitur, denominationem vestiti à veste, locati à loco, imo & agentis ab actione esse entia rationis, quia est eadem vel proportionalis ratio. Nam talis denominatio nihil ponit in re denominata, ideo enim extrinsece appellatur: ergo etiam illa ut sit erit ens rationis, quid enim magis in his obstat, quam in cæteris?

Non omnis denominatio extrinseca potest dici ens rationis.

X.

Hæc igitur corollaria satis, ut opinor, declarant, illam sententiam non posse esse veram quantum ad hanc generalem regulam quod denominatio extrinseca ut sit, constituat ens rationis. Nam si deno-

minatio sumitur à forma reali, hoc ipso in rebus existit, & consequenter non pertinet ad entia rationis. Antecedens patet, quia illa forma habet verum esse tale sine dependentia à ratione: ergo etiam denominatio ab illa proveniens, quamvis extrinsece realis tamen est, & non est tantum obiective in intellectu, aut per negationem aut fictionem eius. Dices: Hoc ipso quod est sola denominatio, non potest esse plus quam ens rationis, nam denominatio opus rationis est. Respondetur. Si per denominationem quis intelligat impositionem nominis denominatiui, illud quidem est opus rationis, sed nunc non agimus de impositione nominum, hoc enim modo etiam denominatio intrinseca quantum ad impositionem nominis denominatiui, est opus rationis: sed agimus de ipsarum rerum vniuersibus aut habitudinibus, in quibus talia denominationum nomina fundantur, quæ non sunt opera rationis, sed in denominatione intrinseca est realis vniuersitas vel identitas, aut aliquid simile: in denominatione autem extrinseca quæ ex rebus ipsis sumitur, est habitudo realis vniuersitatis ad aliam, ex qua provenit ut illa res ad quam est habitudo, denominetur per modum termini alterius habitudinis. Sub habitudine autem comprehendimus tam relationem prædicamentalem, quam transcendentalem.

Nec denominatio ab actu rationis est semper ens rationis.

Quod si illud principium de denominatione extrinseca sumpta ab ente reali, non est vniuersaliter verum, neque etiam applicatum ad actus intellectus, ut directe denominantes obiecta cognita, potest esse verum. Quia actus intellectus tam est vera forma realis, sicut alia, & in re ipsa habet habitudinem realem & transcendentalem ad obiectum, ex qua provenit, ut obiectum denominetur cognitum. Dices, hoc esse peculiare in denominatione sumpta ab actibus intellectus, quod possit cadere etiam in entia rationis, & ideo speciali ratione posse appellari ens rationis, sed hoc non satis est, nam inde solum infertur aliquam denominationem extrinsecam posse extendi ad entia rationis, etiam si aliqui à forma reali sumatur, non vero è conuerso hanc denominationem sufficere ad constituendum ens rationis. Quocirca, ut recte notauit Scotus loco citato, hæc denominationes extrinsece possunt fundare aliquod ens, vel relationem rationis, si concipiuntur tanquam aliquid in re denominata, ipsæ tamen præcise sumptæ non sunt proprie entia rationis. Tale autem fundamentum non est in ipsa re quæ extrinsece denominatur, sed in alia à qua denominatur: & inde fit ut id quod concipitur per modum entis in re sic denominata, sit ens rationis.

Sed dici ulterius potest hoc esse peculiare denominationibus sumptis ab actibus intellectus, ut illud esse quod conferunt, tamen sit obiective in intellectu, quod est proprium entis rationis, ut supra diximus: denominationes vero extrinsece sumptæ ab aliis rebus aut actibus, etsi in hoc conueniant cum denominationibus intellectus, quod nullum esse reale ponunt in rebus denominatis, in eo tamen differunt, quod non sunt obiective tantum in intellectu, neque pendent ab actuali operatione rationis. Sed in hac responsione duplex defectus committitur. Primus est, quia vel solum fit vis in nomine entis rationis, vel admittenda erunt alia genera entium, quæ nec realia sunt, nec rationis. Declaratur hoc, quia si ens illud quod constituitur per denominationem extrinsecam ab actu rationis, habet propriam quandam rationem entis condistinctam ab ente reali: ergo etiam ens visum, aut ens amatum vel sit, & in vniuersum ens extrinsece denominatum habebit quandam rationem entis condistinctam ab ente

ente reali: nam est eadem ratio & proportio, ut ostensum est. Si autem fiat y. s. in nomine entis rationis, quod significat, et videtur peculiariter dependentiam ab actu rationis, facili negotio multiplicare possumus similia seu proportionalia nomina, ut ens imaginationis, aut sensus aut voluntatis, &c. quæ omnia erunt condistincta ab ente reali propter dictam similitudinem rationis. Quod si non ad nomen, sed ad rem attendamus, cum in illis omnibus sit idem modus entis, conuenient in generali ratione entis rationis, non ut significat peculiarem dependentiam ab actu rationis, sed ut significat ens condistinctum ab ente reali, quod potest dici ens extrinsecus denominationis.

XIII. Secundo deficit illa euasio: quia in rigore falsum est denominationem sumptam ab actu directo intellectus habere tantum esse obiectiue in intellectu, nam proprie potius habet esse formale in intellectu quam obiectum. Vnde cauenda est equiuocatio quando agimus de esse cognito, aut alius similibus denominationibus intellectus. Potest enim vocari esse cognitum, illud esse quod cognoscitur, quodque proprie est obiectiue in intellectu, vel potest vocari esse cognitum, illudmet esse, quod res habere dicitur ex eo præcise quod cognoscitur, quod ex vi cognitionis directæ non est obiectiue in intellectu, sed potius est formaliter ab actu quo res cognoscitur, obiectiue autem est in cognitione reflexa, qua intellectus cognoscit se cognoscere, vel potius qua cognoscit rem esse cognitam. Et præterea, licet respectu talis cognitionis, illud esse sit obiectiue in intellectu, non tamen est tantum obiectiue, quia forma à qua est illa denominatio, non est tantum obiectiue in mente, sed in re ipsa. Sicut quando intellectus cognoscit rem esse amaram, est quidem illud esse amatum obiectiue in intellectu, non tamen hoc est totum esse illius, ut ea ratione dicatur esse tantum obiectiue in intellectu, nam in re ipsa talis actus amoris tendit & terminatur ad talem rem: & hoc ipsum est rem illam esse amaram.

XIV. Quocirca si præcise sistamus in denominatione extrinseca proveniente à forma reali, & ab aliqua eius habitudine non ficta, sed ve a, & in re ipsa existente, non existimo pertinere ad ens rationis, sed comprehendendi sub latitudine entis realis, saltem ex parte forme denominantis. Vnde si intellectus nihil aliud cognoscit quam talem formam. v. g. visionem habere intrinsecam habitudinem ad tale obiectum & ad illud terminari, & inde tale obiectum extrinsece denominari visum nullum ens rationis concipit, nā omnia illa reuera ita sunt in re, sicut cognoscuntur scilicet res denominata a forma denominans, & illa qualitasque vniōis complens denominationem, quæ potius est realis habitudo. Et quoad hoc eadem est ratio de denominatione sumpta ex actu intellectus ut directe cognoscentis rem: æquæ res dicitur cognita sine vlla fictione rationis per solam realem existentiam actus cognoscedi cum reali habitudine ad rem quæ denominatur cognita. Quæ omnia magis ex sequentibus constabunt.

Prima assertio ad resolutionem questionis.

XV. Dicendum est ergo: ens rationis proprie fieri per illum actum intellectus, quo per modum entis concipitur id quod in re non habet entitatem. Hæc assertio sumitur ex dictis in sectione prima, & ex omnibus locis Dni Thomæ quæ ibi citauimus, & ex causis seu occasionibus quas ibi numerauimus, in nobis sunt ad configenda hæc entia rationis. Secundo probatur ex dictis contra præcedentem sententiam, quia si sola denominatio extrinseca non sufficit nullus alius superest modus explicandi hæc causalitatem entium rationis. Tercio declaratur ex re ipsa, & quasi inductione quadam, nam cecitas, verbi

Tom. II. Metaphys.

gratia (& idem est de simplici negatione) dupliciter concipi potest: primo negative: tantum concipiendū in tali organo non esse potentiam visivam: & tunc nullum insurgit ens rationis, quia nihil concipitur per modum entis, sed solum per modum non entis: inde vero fit ve ad formandum conceptum simplicem ipsius cecitatis intellectus concipiat illam ut affectionem animalis seu organi, sicut etiam apprehendit tenebras ut dispositionem quandam aeris: tunc ergo concipit aliquid per modum entis: cumq; non concipiat ens reale, tunc proprie format tale ens rationis. Simile quid considerare licet in entibus rationis, quæ in extrinsecis denominationibus fundamentum habent, ut est reatio vis, cognitio, &c. nam etiam hæ denominationes possunt esse duplices, scilicet aut tantum denominationes extrinsecæ, & sic dum intellectus directe cognoscit rem esse viuam, quatenus visio existens in oculo ad eam terminatur, per hanc cognitionem nullum ens rationis format aut cognoscit. Alio modo fiunt hæ denominationes respectiue, quia intellectus noster non satis concipit aliquid ut terminum relationis alterius ad ipsum, quin statim concipiat illud per modum correlatiui, & tunc concipitur aliquid per modum entis respectiui in re sic denominata, & quia illud nō est ens reale nec relatio realis, fit consequenter ut sit ens rationis. Atque hoc modo declarauimus rem hanc supra disp. 6. sect. 6. & 7. & quæ ibi diximus de fabricatione vniuersalis ut sic applicari possunt ad ceteras relationes rationis. Vbi etiam assignauimus modum conciliandi varias opiniones & dicta doctorum de huiusmodi entibus rationis, & de cognitione per quam fiunt, & iuxta ibi dicta posset etiam explicari prima opinio supra tractata. Atque ex dicendis infra in particulari de singulis entibus rationis hæc assertio magis constabit.

Secunda assertio.

Dico secundo: Actus intellectus, quo ens rationis consurgit, est aliquo modo comparatiuus, vel reflexiuius, præsertim quando ens rationis fundatur in actu intellectus. Probatur: & declaratur, quia ille actus quo ens rationis suo modo fabricatur & consurgit, natura sua supponit alium conceptum realis entis ad cuius proportionem seu imitationem concipitur seu formatur ens rationis, ut in priuatione verbi gratia, in tenebris, supponitur aliqua cognitio lucis, ut remotio vel negatio eius concipiat per modum oppositæ affectionis. Similiter ut cognoscatur paries visus supponitur cognitio alicuius visionis terminata ad ipsum, & tunc concipitur in ipso pariete quasi passio quædam in eo procedens ex visione quæ circa illum fit. Sic ergo late loquendo dicitur potest fabricatio entis rationis fieri per reflexam cognitionem, extendendo nomen reflexionis ad cognitionem omnem supponentem aliam, & quasi fundatam in illa, quæ generatim loquendo proprius comparationis, quam reflexionis nomine significatur. Proprie vero reperitur hæc reflexio in respectibus rationis, quos Dialectici vocant secundas intentiones, nam in eis præcedit directa operatio intellectus & deinde superadditur alius actus, quo in subiecto cognito consideratur aliqua conditio per modum alicuius entis in eo existentis, cum reuera nihil in re ipsa sit sed sola denominatio extrinseca. Ut verbi gratia, prius intellectus concipit, Petrum esse album quæ est directa operatio, per quam intellectus nullum ens rationis fabricatur aut cognoscit, sed solum id quod est in re, quamuis modus ille quo cognoscitur talem rem, scilicet intellectualiter componendo, vnum subdicendo & aliud prædicando, non sit in re: ille autem modus ex vi illius actus non tribuitur rei cognitæ, nec cognoscitur ut aliquid existens in illa, & ideo nondum pertinet ille actus ad causalitatem

XVI.

Qualis sit actus intellectus quo fabricatur ens ratio- nis.

III

Entis

entis rationis, nisi remote & fundamētaliter. Postea vero reflectitur intellectus, & considerat ordinem illorum extremorum ut obliuiscuntur compositioni rationis, & intelligit vnum comparari ad aliud per modum subiecti, aliud vero per modum prædicati, & ita concipit ea per modum mutui respectus, quāuis reuera in eis talis respectus non sit. Atque ad hūc modum fiunt omnes similes secundæ intentiones per conceptus reflexos supra priores denominationes prouenientes ex conceptibus directis, quæ, ut diximus, non pertinent ad propriam rationem entis rationis seu ficti, de quo nunc tractamus. Solum oportet aduertere (quod supra etiam notauimus tractando de vniuersalibus) hanc reflexionem posse esse multiplicem, nam postquam intellectus apprehendit per modum entis id quod vere non est ens, potest iterum reflecti, & considerare qualis relatio sit illa quam finxit, & quem terminum habeat, & similia. Non est ergo necessaria omnis ista reflexio ut intelligatur fabricatum eas rationis, sed quam primū concipitur per modum entis quod vere non est ens, iam intelligitur fabricatum ens rationis. Atque hæc videntur satis de prima interrogatione, & de omnibus, quæ in illa inlinuantur.

*Per solum actum intellectus, consurgere proprie
entis rationis.*

XVII.

Hinc etiam facile est secundum interrogationem expedire. Dicendum est enim neque in sensibus neque in voluntate aut appetitu formari aut esse aliquo modo propria entia rationis, quia neque sensus neque potentia appetitiua habent hanc vim formandam aut concipiendi per modum entis id quod vere non est ens. Sensus enim non est reflexiuus, neque inquisitiuus quidditatis rei sicut intellectus, ut ea de causa concipiat per modum entis ea quæ entia non sunt. Maxime cum ens ut ens non sit adæquatum obiectum sensus, sicut intellectus. Et quoad hoc eadem est ratio de voluntate, quæ non tendit in ens ut ens, sed ut bonum. Et quamuis interdum voluntas humana tendat in id quod in re non est bonum si bonum esset, tamen ipsa non fingit tale bonum, sed supponit apprehensum & representatum per intellectum: unde etiam si illud computetur inter entia rationis non est a voluntate fabricatum, sed ab intellectu. Quamquam autem voluntas, sicut & sensus, denominet suum obiectum, amatum, & desideratum denominatione reali extrinseca per habitudinem sui actus ad tale obiectum, tamen ipsa voluntas non ulterius reflectitur vel inquit quid sit in tali obiecto esse amatum vel desideratum, nec in eo fingit relationem rationis, sed hoc spectat ad intellectum. Et quamuis voluntas possit in suo ordine reflecti in suum actum, amando amorem vel desiderium, & possit etiam reflecti in obiectum ut denominatum ab actu eiusdem vel similis voluntatis, scilicet amando obiectum, eo quod ab alio sit amatum, tamen per hanc reflexionem non fingit aliquid per modum entis aut boni, quod in se bonum non sit, sed in vnumquodque tendit sicut in se est, vel sicut ab intellectu proponitur. Et ob eandem causam quamuis voluntas possit tendere in obiectum vniuersale, ipsa tamen non fabricatur ipsum vniuersale sed supponit fabricatum ab intellectu. Et idem est de omnibus obiectis in quæ tendit voluntas propter extrinsecas denominationes vel habitudines, quæ si per modum rationum concipiuntur, reuera tantum sunt relationes rationis, ut cum voluntas amat aliquem actum quia præceptus est: nam esse præceptum denominatio est extrinseca, qui si apprehendatur ut aliquid existens in ipsa re præcepta erit ens rationis: tamen id non fit per voluntatem, sed per intellectum. Ex his ergo satis constat neque per voluntatem, neque per sensus fieri entia rationis.

*Sensus non
efficit entia
rationis.*

*Appetitus
non format
entia ratio-
nis.*

Ab hac tamen generali regula excipi potest imago humana, quæ interdum fingit quædam entia quæ reuera nusquam sunt, vel etiam esse non possunt componendo illa ex his entibus quæ sub sensum cadunt, ut cum fingit montem aureum, qui non est, licet sit possibilis: eodem tamen modo fingere potest rem impossibilem, ut chymæram. Nam hoc ipso, quod habet vim componendi species simplices, per eas formando idolum, constans ex rebus representatis per simplicia phantasmata, sicut potest componere ea quæ non inuoluit repugnantiam, etiam si de facto non ita inueniantur composita, ita etiam potest fingere compositionem inter ea quæ coherere repugnat. Unde etiam dialectici dicunt ens imaginabile latius ampliare, quam ens possibile. Atque ita sane dicendum est ea entia rationis, quæ sunt mere impossibilia, & non habent aliud fundamentum in re, præter vim potentie componentis quæ in re componi non possunt, etiam posse fingi per imaginationem, tamen quia imaginatio humana in hoc participat aliquo modo vim rationis, & fortasse nunquam id facit nisi cooperante ratione, ideo hæc omnia dicuntur entia rationis, & simpliciter loquendo etiam hoc munus rationi tribuitur.

*Forme etne diuinus intellectus entia
rationis.*

Vltimo colligitur ex dictis responso ad vltimam interrogationem de intellectu diuino, an periculum etiam formentur entia rationis. Multis enim videtur non esse denegandum diuino intellectui, quia dicit perfectionem in intellectu nostro, & nullam necessario inuoluit imperfectionem. Nam intelligere omne intelligibile, perfectionis est, hæc autem entia rationis sunt aliquo modo intelligibilia, ergo ad diuinam perfectionem pertinet illa etiam intelligere. Rursus ad perfectionem intelligentis pertinet, ut vnumquodque cognoscat sicut est, seu quale est, sed hæc entia rationis talia sunt, ut in se non sint vera entia, cogitari tamen possint per modum entium: ergo ad perfectionem intellectus diuini pertinet ita illa comprehendere: nulla igitur imperfectio erit in diuino intellectu, quod hæc cognoscat per modum entium, cum entia non sint, sed est imperfectio ipsius obiecti, quod talem habet modum entitatis. Et confirmatur, quia necessitas fabricandi hæc entia rationis non prouenit semper ex imperfectione intelligentis, sed ex natura & intrinseca necessitate ipsarum rerum cognoscendarum. Hoc patet in primis in negationibus & priuationibus, ideo enim cognoscuntur per modum entium, quia nihil est per se intelligibile nisi ens, & ideo illa quatenus non entia sunt, non habent intelligibilitatem, ideoque ut intelligi possint, oportet ut per modum entium concipiantur: hæc autem ratio communis est omni intellectui, & non fundatur in imperfectione intelligentis sed in ipsa natura obiecti intelligibilis. Nam sicut ens est obiectum adæquatum obiectum intellectus diuini, loquendo de obiecto terminatio, siue primario, siue secundario: ergo etiam intellectus diuinus non potest aliquid concipere nisi per modum entis: ergo etiam hoc modo concipiet negationes & priuationes. Rursus de relationibus rationis hoc patet, quia etiam intellectus diuinus concipit ut ratione distincta, ea quæ in re distincta non sunt, cognoscit enim Verbum diuinum procedere per intellectum, & non per voluntatem, & spiritum sanctum procedere per voluntatem, & non per intellectum, & similiter concipit hominem creati per ideam hominis, & non per ideam leonis, & e converso, & sic de aliis. Atque huic sententiæ fauent multi Theologi.

XIX.
Aligunt
sententia

ti Theologi, qui tractantes de ideis diuinis, vel de relationibus aut attributis, Deo attribuit tum respectus rationis, tum etiam distinctiones rationis per comparationem eiusdem rei ad diuersas, vt videre licet apud Diuum Thomam 1. parte quaest. 19. articulo secundo ad secundum & tertium. 1. contr. gent. capit. decimo octauo, & alios Theologos in 1. dist. 35. & 36.

XX. Nihilominus aliunde videtur repugnare perfectioni diuini intellectus, vt per illum formetur entia rationis, quia ens rationis non formatur nisi concipiendo per modum entis id quod ens non est: at vero hoc prouenit ex imperfectione intellectus, & repugnat perfectioni diuinæ cognitionis, nam hæc in ea posita est, quod vnumquodque clarissime cognoscit, sicut est: ergo fieri non potest, vt per diuinum intellectum entia rationis formetur. Et confirmatur, nam fieri non potest, vt intellectus diuinus concipiat spiritalia instar corporalium, quia ille est imperfectus modus cognoscendi, sed ad perfectionem eius pertinet vt ita intueatur spiritalia sicut sunt, & non aliter: ergo pari ratione fieri non potest vt intellectus diuinus concipiat vt distincta, quæ in re distincta non sunt, quia etiam ille modus concipiendi non esset proprius, nec per illum conciperentur res vt sunt. Ac denique ob eandem rationem non concipit Deus negationes aut priuationes per modum entium positiorum, quia conciperet illa extraneo modo, & non qualia sunt: ergo nullum genus entis rationis per diuinum intellectum formari potest.

XXI. Vnde falsum esse videtur, quod in argumentis contrariis assumitur, scilicet formationem entium rationis non prouenire ex imperfecto modo cognoscendi: aut necessariam esse ex vi obiecti intellectus: nam omnis conceptio rei, quæ aliter se habet ex parte obiecti aut modi representandi, quam res cognita se habeat in se est imperfecta, & non habet illam conditionem ex vi obiecti, sed ex parte cognoscentis. Dico autem ex parte obiecti, & in modo representandi, quia ex parte cognoscentis & actus seu entitatis eius fieri potest, vt res aliter, formetur intelligente, quæ sit in se ob maiorem perfectionem cognoscentis. Sic enim cognoscimus materialia immaterialiter, & Deus cognoscit composita simplicissime, & mutabilia immutabiliter, & potentialia per purissimum actum quia hæc omnia solum dicunt perfectionem in illo esse quo cognitio perficitur. At vero quo ad representationem obiecti, pertinet ad perfectionem cognitionis, vt ita representet illud sicut est, & omnis cognitio quæ recedit ab hac proprietate non potest id habere ex perfectione cognitionis, sed ex aliqua imperfectiore vel limitatione adiuncta, quia perfectio cognitionis consistit in adæquatione ad rem cognitam, & consequenter in representatione eius sicut in se est. Atque hinc fit vt ex vi obiecti intellectus, etiam terminatus, nunquam sit necessarius alius modus cognitionis, nam potius ipsum obiectum postulat cognosci sicut est.

XXII. Et discurrendo per singula obiecta seu entia rationis, id facile constare potest, nam ens absolutum quantum in ipso est, non postulat cognosci per modum relatiui, quantumuis enim duæ res nobis videantur inter se connexæ, si tamen reuera non sunt relata: perfectius cognoscuntur prout in se sunt, & cum ea connexionem quam verè habent sine ulla relatione vera vel conficta quam si modo relatiui, qui eis extraneus est, cognoscatur. Et simili ratione ens respectiui absolutum, neque ens positium per modum negatiui,

Tom. II. Metaphys.

quantum est in se, non postulat cognosci per modum neque conuerso negatio per modum positium. Quamquam hoc vltimum difficilius existimatur, eo quod negatio nihil habeat entitatis, quæ per cognitionem representari possit, nisi per modum entis fingatur. Sed est considerandum, perfectam cognitionem negationis non consistere in hoc, quod ipsa directe, & per modum entis representetur, sed in hoc quod cognoscendo clarissime entia positia, in eis cognoscatur vnum non esse aliud, vel non habere aliud, seu hoc non esse vnum illi absque illa directa representatione ipsius negationis vel priuationis. Et hoc modo perfectissime cognoscit Deus negationes ipsas, non quidem sine positio actus & iudicio, quo Deus intuendo duas res, simplicissime simul inuenitur vnam non esse aliam, & non esse coniunctum alteri, aut etiam non posse illi vniri: sed quia præter hunc actum Deus non habet alium ratione distinctum, quo apprehendat ipsam negationem per modum entis positium: hic enim conceptus neque Deo est necessarius, neque ad perfectionem spectat. Quod autem Deus dicitur cognoscere ea quæ non sunt, tamen ea quæ sunt, non ideo dicitur quia ad cognoscenda ea quæ non sunt, seu negationes entium, necesse sit, Deum cognoscere negationem per modum entis positium, sed quia tam clare & distincte cognoscit ea quæ sunt, sicut ea quæ non sunt, cognoscendo & iudicando de vnoquoque id quod est vel non est. Et præter ea quia Deus non accipit cognitionem à rebus neque vt eas cognoscat, pendet ex existentia illarum, sed æque cognoscit possibilia, sicut existentia, & futura sicut præsentia, vnumquodque tamen ita cognoscendo esse sicut est, vel non esse sicut non est.

Hæc posterior sententia vera mihi videtur, & maxime consentanea diuinæ perfectioni. Solum addendum occurrit, quamquam Deus per se & immediate non intelligat formando entia rationis, nihilominus tamen perfectissime cognoscere ipsa entia rationis, & earatione dici posse huiusmodi entia habere aliquid esse ex vi diuinæ cognitionis. Quia esse eorum est esse obiectiue in intellectu: si autem à Deo cognoscuntur, sunt obiectiue in intellectu diuino: ergo habent esse sibi proportionatum ex vi diuinæ intellectionis. Quod autem hæc entia perfecte cognoscantur à Deo, dubitari non potest ob rationes priori loco positas, quæ hoc saltem probant, & non aliud. Declararique potest, quia Deus comprehendit omnes actiones humanæ imaginationis vel rationis: ergo comprehendit omnes fictiones formales (vt ita dicam) quæ in his potentiis esse possunt: ergo etiam cognoscit fictiones obiectiuas quæ illis actibus mentis correspondent seu obiectiuntur, atque ita cognoscit omnia entia rationis quæ per operationes harum potentiarum quouis modo insurgere possunt.

XXIV. Dicere tamen potest aliquis, licet Deus ita cognoscat entia rationis, id non satis esse vt illa dicantur actu esse eo modo quo esse possunt, sed solum vt dicantur esse possibilia, vel potius imaginabilia, seu fingibilia per humanam mentem. Respondetur non esse contendendum si alicui hic modus loquendi magis placeat, nam erit contentio de nomine, potius quam de re: & talis loquendi modus non est improbabilis, nam cum hæc entia tantum sint ficta, tunc proprio & peculiari modo dicuntur actu esse quando actu finguntur: non finguntur autem per intellectum diuinum, sed cognoscuntur, vt fingibilia per humanum intellectum, & sub ea ratione merito dici possunt modum actu esse. Quamquam si latius loquamur de quolibet esse obiectiuo illorum, sicut actu cognoscuntur per intellectum diuinum, ita etiam dici possunt actu esse.

XXV. Ex his autem quæ diximus de intellectu diuino & humano, ferendum est iudicium de intellectu angelico,

DEUM AN
FORMETUR
SINE RATIO-
NE.

lico, vel de quo cunque creato, perfecto & superiori modo intelligente, ut est intellectus videntis Deum ut sic. Nam quatenus perfecte cognoscunt res prout in se sunt, vel in seipsis, non formant entia rationis. Intellectus vero angelicus, si quæ fortasse intelligit imperfecto modo, & per alias species aut conceptus, potest aliqua entia rationis formare, ut cognoscendo Deum naturali cognitione, potest illum cognoscere per aliquam habitudinem ad creaturas, & distinctionem rationis in illo formare. Sed huius rei rationem & expositionem Theologis remittimus, quia supponit perfectam intelligentiam circa modum cognoscendi angelorum.

SECTIO III.

An recte dividatur ens rationis in negationem, privationem, & relationem.

Divisio hæc satis vulgaris est: habetque fundamentum in Aristotele 4. Metaphysicor., in principio, ubi negationes & privationes ponit inter entia, cum tamen revera non entia sint: unde solum ponit ea sic numerare, quia entia rationis sunt. Atque ita postea lib. 5. ca. 7. declarat, esse talium entium solum esse, secundum prædicationem veram, atque adeo per intellectum, atque eodem libro cap. 15. insinuat relationes rationis. Sumitur etiā illa divisio ex diuo Thoma, quæ est. 21. de Verit. articul. primo, & in prima dist. 1. q. 1. artic. 3. & distinct. 19. qu. 1. artic. 1. & omnes recentiores eadem partitione videntur.

Difficultates circa divisionem positam.

Habet tantum nonnullam difficultatem, tum in sufficientia, tum etiam in distinctione horum membrorum sub huiusmodi diviso. Et de priori quidem parte dicemus sectione sequenti. Quoad alteram vero partem ratio dubitandi brevitè esse potest, quia negationes & privationes immerito numerari videntur inter entia rationis, quia non sunt aliquid mente constitutum, sed verè rebus ipsis conveniunt, nam in re ipsa aer est tenebrosus, & carens lumine, & homo est non albus, si sit niger. Quod si hæc dicantur esse entia rationis quatenus per modum entis finguntur, hoc modo omnia entia rationis erunt negationis quædam, quia omnia sunt non entia realia, & vera, & hanc negationem intrinsece includunt. Aliunde etiam non apparet cur negatio, & privatio ut diversa entia rationis numerentur, quia si considerentur formaliter & quoad ea entiam seu fictionem entitatis, non habent diversitatem: quod autem differant ex habitudine seu connotatione subiecti aut potentie receptivæ, sub ea consideratio ne non differunt in aliqua entitate rationis, sed quasi extrinsece in entitate reali seu in habitudine ad ens reale. Denique etiam negatio & privatio non concipiuntur ut entia rationis sine habitudine ad aliud: non ergo recte distinguuntur à relatione rationis. Antecedens patet, quia privatio alicuius, est privatio.

Explicatur, & probatur divisio.

Nihilominus dicta divisio recte tradita est. Non est enim dubium, quin illa tria membra concepta per modum entium sint entia rationis, & non rei. Quod de relationibus rationis suppono ex dictis supra de prædicamento ad aliquid, ubi ostendimus quasdam esse relationes reales, & alias rationis, & has posteriores diximus non habere in re verum esse ad aliud, sed cogitari ut habentes esse ad aliud, igitur es-

se talium relationum non est esse rei, sed esse quod cogitatione fingitur: est ergo esse rationis. Rursus negatio & se non dicit aliquid rei, cum illud simpliciter remoueat. De privatione vero supponendum est pro tota hac materia, interdum vocari ab Aristotele privationem, formam minus perfectam comparatione perfectioris formæ sibi oppositæ, ut nigredo comparatione albedinis, tamen illa non est vera privatio, sed forma positiva, unde non pertinet ad hanc divisionem. Propria ergo privatio dicitur carentia formæ in subiecto a pro. 5. Metaphysic. c. 2. lib. 10. c. 7. unde ex se ac formaliter, etiam est remotio ac non ens, ut docet etiam Aristotel. 1. Physic. capit. 8. Sic igitur tam negatio quam privatio, si considerentur præcise quatenus non entia sunt, ut si nec sunt entia realia, nec rationis, quia non sunt entia nec considerantur ut entia, sed ut non entia, & hoc modo non sunt aliquid fictum, & dicuntur convenire rebus ipsis non ponendo in eis aliquid, sed tollendo, ut ex D. Thoma notavit Caietanus 1. p. q. 43. articul. ubi Divus Thomas idem sentit & quæst. de Malo articul. 2. Capreolus in 2. distinctione 34. quæstione 2. ad primum. Ferrar. 3. contr. gent. capit. 19. Soncinas 10. Metaphysic. quæst. 15. Et sic dicimus dari in rebus privationes, ut cæcitatem in oculo, tenebras in aere malum in actionibus humanis: sicut Aristoteles posuit privationem principium generationis naturalis.

Ex hac autem negatione seu remotione entitatis & ex modo quo noster intellectus illam attribuit rebus non solum negando, sed etiam affirmando fit, ut hæc non solum concipiantur à nobis pure negatiue, sed etiam per modum entis positivi: sub qua consideratione habent rationem entis non rei sed rationis. ut recte D. Thom. notavit 4. Metaphysic. c. 2. ubi Aristot. idem sentit. Primum patet, cum quia in hac affirmatione homo est cæcus, virtute includitur prædicatio entis, nam verbum est includit participium entis, tum etiam, quia noster intellectus non concipit aliquid ut in rebus existens, nisi concipiat illud per modum entis. Secundum autem patet, quia in hoc modo conceptionis aut affirmationis non admiscetur falsitas vel deceptio: nam huiusmodi locutiones omnino veræ sunt: unde & in Scriptura sacra reperiuntur, Genes. 1. Et tenebre erant super faciem abyssi, & Ioan. 9. Erat cæcus à natiuitate. Ergo non attribuitur hoc ens, ut ponens aliquam entitatem in re ergo ut ens rationis tantum, quia nimirum id quod in re est sola carentia, concipitur & attribuitur subiecto, ut aliquid in illo existens: in quo est quidem extraneus seu improprius modus concipiendi & prædicandi, non tamen falsus. Sic igitur constat illa tria membra sub ente rationis comprehendendi.

Discrimen inter relationem rationis, & alia duo membra.

Quod vero relatio sit in illo ordine & latitudine diversum ens rationis ab aliis duobus, constat primo ex diversitate fundamenti, nam fundamentum quod habet intellectus ad concipiendam relationem rationis, non est negatio aliqua vel remotio entitatis, sed potius est aliqua positiva entitas, quæ à nobis non perfecte concipitur nisi per modum respectus. Dices, Ad concipiendum respectum rationis semper supponitur in re carentia respectus realis: nam si interueniret respectus realis, non fingeretur relatio rationis. Respondetur, Verum est, supponi huiusmodi carentiam seu negationem tanquam conditionem necessariam, non tamen ut proprium fundamentum huiusmodi relationis. Unde relatio rationis non fingitur ad concipiendam ipsam relationem seu carentiam negationis per modum entis positivi, sed ad concipiendum aliquid aliud quod in re positum est, & absolutum, ita tamen connexum cum